



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Vita Leonis Papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## NOTA.

\* *Concilium.* ] Huius Concilii Rauennatis meminit Sigebertus anno 309. his verbis: *Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quem Stephanus papa deposuerat, Synodum 74. episcoporum presentibus Francorum archiepiscopis & rege apud Rauennam statuit; & coram eis combusta est Synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.* Acta Synodi ex codice Antonii Augustini Romam misso descripsit Baronius anno 904. num. 16. Qua de causa Ioannes pontifex Roma decedens Rauennam profectus fuerit, ibique pro abrogatione rerum gestarum per Stephanum prædecessorem aduersus Formosum Concilium plenius celebrauerit, supra dictum est in vita Ioannis IX.



## VITA

## BENEDICTI PAPÆ IV.

ANNO  
CHRISTI  
905.Benedictus  
IV quando  
papa factus,  
&  
qualis?

**B**ENEDICTVS IV. natione Romanus post interregnum vnus diei surrogatus est Ioanni IX. anno Christi 905. tempore Lamberti imperatoris. Munificentissimus erga pauperes, viduas & orphanos, inter horum temporum pontifices tamquam sidus quoddam lucidum emicuit. Anno pontificatus sui tertio, qui est Christi 907. ex hac vita migravit, sepultusque est apud sanctum Petrum iuxta aditum, quo itur ad sanctum Gregorium, vbi & sepulcrum eius exornatum fuit epitaphio, quod ex Manlio excryptum habet Baronius prædicto loco.



## VITA

## LEONIS PAPÆ V.

ANNO  
CHRISTI  
907.Leo V.  
quando papa  
factus?

**L**EO V. patria Ardeatinus subrogatus est in locum Benedicti quarti anno Domini 907. tempore Lamberti imperatoris. Cumque quadraginta dies ecclesiam gubernasset, pulsus a pontificatu, detrusus est in carcerem per Christophorum sedis apostolicæ inuasorem, anno eodem haud dubie quo pontificatum adeptus fuit.